

Ann. VII.

Num. II.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

SEMEL IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 4,80;
ubique extra Italiam Lib. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in commentarii operculo
Lib. 0.10 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF

Apud "KRONIKA RODEINNA"

Apud BURNS AND OATES

VARSAVIAE POLONORUM
Rakowskie Przedmiescie, 15.

VARSAVIAE POLONORUM
Krakowskie Przedmiescie, 6

IN ANGLIA

—

LONDON W.

28, Orchard Street.

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS

AMERICAE SEPTENTR.

Apud FRIDERICUM PUSTET

S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

NEW YORK

CINCINNATI

52, Barclay Street. 436, Main Street.

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET

S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

RATISBONAE in BAVARIA

IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES

MONTREAL

1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

Sanctissimi Domini Nostri Pii PP. X instructio seu regulae de Musica Sacra.

I. Principia generalia. - II. Musicae sacrae genera. - III. De textu liturgico. - IV. De forma externa sacrae musices operum. - V. De cantoribus. - VI. De organo et musicis instrumentis. - VII. Liturgicae musicae amplitudo. - VIII. Modi ad rem exsequendam praecipui. - IX. Conclusio.

SS. Rituum Congregationis decretum de regularum circa musicam sacram observantia.

Annus MDCCCCIII.

De arcane disciplina.

Deiparae purificatio in pictoria arte.

De musicae sacrae ratione innovanda.

De Ecclesiae concilii generalibus.

Fabulae selectae Fontanii a Ioanne Bapt. Giraud latine redditae, passim retractatae a Franciseo Xaverio Reuss.

Geographicae notae: De Mandchouria, Iaponia et Coreano regno.

Urbanae reliquiae. De Cathedra S. Petri.

De Congregatione Suprema Sacrae Romanae et Universalis Inquisitionis.

Ex SS. Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae.

Diarium Vaticanum.

Annales: Bellum ad Coreanos. - Macedonica pax. - Americana seditio. - Africana

Anglorum victoria.

Publici per Orbem coetus legibus ferendis.

Aenigmata.

Libri recens dono accepti.

In tertia operculi pagina:

Per Orbem. — Varia: Electrides ad repellendos ebrios. - Pipionibus bene de re publica meritis. - Ioci. — Epistolarum commercium.

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

MDCCOCIV

SUPELLEX AD RES DIVINAS.

Commentarii VOX URBIS administratio recto tramite suppeditat supellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad VOCIS URBIS administratorem (Romam, via Alessandrina, 87) mittantur, res praecise indicando quae quisque sibi cupit. Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

SOCIIS MONITUM.

Sociis pluribus morem gerentes Idib. Novembr. an. MDCCCCII apud Commentarii *Vox Urbis* administratorem officium instituimus, quod de negotiis Ecclesiasticis esset; de expediendis scilicet rationibus omnibus, quae apud Romanae Ecclesiae « Congregationes » aguntur.

Itaque si quis procuratione nostra uti velit, profecto temperantiam in pretio, studium atque alacritatem in opere inveniet.

SATURIO

Comoedia latinis versibus conscripta a clarissimo viro Ioanne Baptista Francesia et per Commentarii VOX URBIS paginas vulgata, in volumen redacta est, quod apud Commentarii eiusdem administratorem venale prostat lib. 1.

IN LUDIS LITTERARUM OPTIMA TIRONIBUS SCENICE AGENDI EXERCITATIO.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:
In Italia: Lib. 4,80 — Ubique extra Italiam:
Lib. 6,25, Doll. 1,25, Sch. 5, M. 5, Rubl. 3, Coron. 6,25

SEMEL IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII PP. X INSTRUCTIO SEU REGULAE DE MUSICA SACRA. ⁽¹⁾

I.

Principia generalia.

1) Musica sacra, utpote solemnis liturgiae pars necessaria, huius finem generalem participat, qui gloria Dei est, sanctificatio exemplumque fidelium. Ad sacrarum caeremoniarum decus ac splendorem augendum ipsa concurrit, quumque peculiare eius officium in hoc versetur, ut aptis concentibus liturgicum textum exornet fidelium menti propositum, proprium ei munus addicetur maiorem vim eidem textui adiungendi, quo facilius inde fideles ad pietatem excitentur, meliusque animum disponant ad gratiae fructus consequendos, qui a celebratis divinis mysteriis proveniunt.

2) Itaque musica sacra proprias liturgiae qualitates possidat necesse est, in primisque sanctitatem ac bonitatem formae; unde alia nota suapte exoritur, universitas. — Cum sancta esse debeat, quidvis profanum occurrat non modo ex re ipsa amovendum est, sed etiam ex ratione, qua per exequutores proponitur. — Verae insuper artis specimen exhibeat; neque enim aliter in audientium animos influere tantum potest, quantum Ecclesia, concentuum artem in liturgiam admittens, sibi pollicetur. At simul universalis esto, ita quidem ut, concessa singulis nationibus facultate in sacris modis certas formas adhibendi, quae peculiarem quodammodo notam suae cuiusque musices constituant, *haec tamen eo ritu musicae sacrae naturae generali subiiciantur*, ut nemo ex exteris gentibus, eas accipiens, ingrate ferat.

II.

Musicae sacrae genera.

3) Qualitates hae in Gregorianis concentibus maxime inveniuntur; igitur huiusmodi cantus Ecclesiae Romanae proprius est: unum hunc ab antiquis patribus haereditate accepit, hunc summa cura longo saeculorum cursu in codicibus liturgicis custodivit, hunc tamquam suum directo fidelibus proponit, hunc in nonnullis

(1) Instituta recens a Pio PP. X circa musicam sacram quanti habenda sint neminem fugit, quum plus minusve, una vel alia ratione, apud omnes gentes, ab Italia ad longinas Americas, musica ipsa a suo itinere longe aberraverit. Ut igitur stipem nostram ad rem conferremus, regulas easdem, quas Pontifex in *Motu proprio* die xxii mens. Novembr. mccccci tamquam musicae sacrae codicem iuridicum haberi iussit, hodie vulgavimus, quemadmodum latine primus reddidit Iosephus Fornari, cui, die S. Petri Cathedrae sacro, honos contigit suis ipsis manibus Pio PP. X in obsequi testimonium suum opus offerendi atque habendi probatum.

liturgiae partibus unice constituit, quem recentissima studia ad pristinam integritatem puritatemque tam feliciter reddiderunt. His de causis Gregorianus cantus tamquam musicae sacrae supremum exemplar ita habitus est, ut iure lex haec generalis enuntiari queat: eo magis musicum opus Ecclesiae inserviens sacram esse atque liturgicum, quo magis ratione sua, afflatu, sapore ad melos Gregorianum accedit; contra eo minus templo dignum esse, quo magis ab exemplo illo recedat. Itaque vetus Gregorianus cantus traditione perceptus late in sacris restituendus est, quum omnes pro certo habeant divinam rem nihil magnificentiae suae amittere, licet unice cum hoc musico genere consocietur. Nominatim autem Gregorianus cantus in populi usum restituendus curetur, quo ad divinas laudes mysteriaque celebranda magis agentium partem, antiquorum more, fideles conferant.

4) Memoratas hactenus notas praeter modum possidet quoque *classica*, prout vulgo dicitur, polyphonia, Romanae scholae praeceps, cuius saec. xvi Petrus-Aloisius Praenestinus exstitit perfector; nec desit postea exquisitae excellentiae, tum liturgiae tum musicae, opera proferre. Classica enim polyphonia ad Gregorianos concentus, exemplum unicum musicae sacrae omnis, plane accedit, atque inde una cum Gregoriano cantu ad sollemnia Ecclesiae maxima, quae in caeremoniis Pontificis habentur excipi meruit. Quare et ipsa late in sacris restituenda erit, apud insigniores basilicas praeceps, apud cathedrales ecclesias, apud seminaria aliaque ecclesiastica collegia, ubi ad rem necessaria minime desiderentur.

5) Ecclesia artium progressum indesinenter coluit, eique favit, ad religionis usum omnia admittens, quae hominis mens bona puleraque per saeculorum cursum invenit, salvis tamen liturgicis legibus. Recentissimum itaque musicae genus et ipsum probatur, quippe quod opera excellentiae, sapientiae, gravitatis plena exhibeat, sacris caeremoniis non indigna. Quia vero recentioris musicae genus ad profanum usum praecipue ortum sit, in hoc maior erit collocanda cura, ne eiusmodi opera hodierno stylo accommodata quidquam profani afferant, neve theatrale argumenta redoleant, neu denique in ipsis formis externis ad exemplum profani cantus effingantur.

6) Inter varia recentioris musicae genera theatrales stylus, superiore saeculo cum maxime in Italia vulgatus, ad divinas res prosequendas minus idoneus visus est; natura enim sua Gregorianae rationi classicaeque polyphoniae, atque ideo supremae legi sacrae musices eiusvis opponitur. Praeterea intima structura, rythmus, *conventionalismus*, ut aiunt, recentioris huius artis, nonnisi male respondet iis, quae cantus vere liturgicus postulat.

III.

De textu liturgico.

7) Proprius Romanae Ecclesiae sermo latinus est; itaque in solennibus sacris liturgieis prohibentur omnino cantus vulgari eloquio editi; eoque magis circa partes variables, vel communes tum Missae, tum Officii.

8) Quum in sacris liturgieis singulis textus musices proponendi ac propositionis ordo apprime fuerint constituti, neque licet ordinem hunc subvertere, neque praescriptos textus ad nutum mutare, neque ex integro, vel tantum in parte omittere, nisi forte rubricae concedant textus aliquot versus, dum simpliciter in choro recitantur, suppleri organo. Unum, iuxta Ecclesiae Romanae consuetudinem, conceditur, post sollemnem Missae *¶ Benedictus*, canticum SS. Eucharistiae. Permititur etiam, post rite cantatum Missae *Offertorium*, reliquum tempus dare brevi canticulo super verba ab Ecclesia approbata.

9) Textus liturgicus canendus est prout exstat in libris, nullo verbo corrupto, nullo postposito, indebitis iterationibus et syllabarum abruptiōibus prorsus amotis, atque ita semper, ut ab audientibus percipi possit.

IV.

De forma externa sacrae musices operum.

10) Singulae tum Missae tum divini Officii partes, musicie quoque sensum formamque servare debent, qualem traditio ecclesiastica invexit, atque optime cantu Gregoriano exprimitur. Alia est igitur ratio qua *Introitus*, alia qua *Graduale*, *Antiphona*, *Psalmus*, *Hymnus*, *Gloria in excelsis*, etc. componantur.

11) Peculiares autem hae normae serventur:
a) *Kyrie*, *Gloria*, *Credo*, etc. in Missa unitatem praeseferant sui cuiusque textus propriam. Non itaque licet ea partibus separatis componere, quasi unaquaeque pars musicum

opus absolutum efficiat, quod a reliquis secerni possit in eorumve locum substitui.

b) In Vesperarum sacris peragendis, standum communiter normis *Caeremonialis Episcoporum* cantum Gregorianum in psalmodia iubentis et musicam figuratam permittentis in *Glory Patri et Hymno*. Licebit tamen in sollemnioribus alternis psallere et Gregorianum cantum, et concentus eos, qui *falsibordoni* Italice nuncupantur, sive versus simili modo apte dispositos. Interdum etiam concedi poterit ut singuli psalmi ex integro musicie proponantur, dummodo hisce in operibus psalmodiae forma propria servetur, id est talis ut cantores psallere inter se videantur sive novis concentibus, sive modis e cantu Gregoriano de promptis, vel eius similitudinem praeserentibus. Psalmi igitur symphoniaci (Italice *di concerto*) excluduntur prorsus ac vetantur.

c) In Ecclesiae hymnis forma antiquitus tradita servetur. Quamobrem non licet cantico – ex. gr. *Tantum ergo* – eos modos aptare, qui in strophe priore flebiles illas formas exhibeant, vulgo *romanza*, *cavatina*, *adagio* appellatas, in altera vero – *Genitori*, etc. – festivum genus.

d) Vesperarum antiphonae Gregorianis modis sibi propriis generatim proponantur. Quod si interdum, singulari aliquo in casu, musicie canantur, nunquam iis erit symphoniacus modulus, neque canticuli vel cantionis amplitudo.

V.

De cantoribus.

12) Exceptis modis, qui sacerdotis ad altare sacra peragentis administratorumque proprii sunt, ac semper ex uno Gregoriano cantu nullaque organi modulatione constabunt, reliquus cantus liturgicus chori levitarum est, quorum vice ecclesiastici cantores proprie funguntur. Quae igitur musica opera ipsi ferunt, maxima saltem ex parte, ad choralis musicae normam procedere debent. Non tamen unius vocis melos prorsus arcet; ea vero ne in sacris ita unquam praevaleat, ut maxima textus pars hoc ritu perficiatur; sit imo ei nota significationis aut harmonici indicii, arteque cum reliqua chorali compositione colligetur.

13) Quum cantoribus in Ecclesia munus vere liturgicum sit, consequitur mulieres, talis officii expertes, ad chori partem agendam, aut ullo modo in musicum chorum admitti non posse. Quod si acutae, vel acutis proximae voces adhiberi velint, antiquissimo Ecclesiae more, id pueri praestabunt.

14) Ne quis denique cantor in Ecclesiae chororum inducatur nisi constiterit de eius pietate atque integritate vitae, eumque modestiam religionemque praferre, quae sanctum decent officium, cui ipse addicitur. – Rei insuper conveniet, cantores, dum in templis canunt, vestibus ecclesiasticis ac superpelliceo indui; quod si in suggestu locum habeant, fidelium oculis ultra modum patente, eos clathris abscondi.

VI.

De organo et musicis instrumentis.

15) Quamvis musica Ecclesiae propria solummodo vocalis sit, licet tamen musicam organo moderari. Speciali ratione, debitiss terminis, servatisque tutelis servandis, alia musica in-

strumenta adhiberi poterunt; nunquam vero sine speciali venia Ordinarii, iuxta *Caeremonialis Episcoporum* praescripta.

16) Quum cantus primum semper locum obtinere debeat, organum aliaque musica instrumenta cantum adiuvent, nunquam opprimant.

17) Non licet cantui instrumentis late praeludere, neque iisdem exodiis moram facere.

18) Organi sonus cantum socians, vel eidem praeludens, interludens, etc., non modo iuxta naturam huius instrumenti propriam perducatur, sed omnium qualitatum, quibus musica vere sacra pollet, quamque superius memoravimus, particeps esto.

19) In templis tum musici instrumenti, cui vulgo *pianoforte* nomen inditum est, tum instrumentorum omnium maiorem vel minorem strepitum edentium, utpote tympanorum cuiusvis formae et molis, crotalium, tintinnabulorum et similium, usus vetatur.

20) Severe prohibetur symphoniacorum catervis (vulgo *bande musicali*) in templis psallere; tantum speciali aliqua ratione, ex venia Ordinarii licebit admitti eorum manipulum delectum, numero circumscriptum, catum, loco congruentem, qui spiritualibus instrumentis ludant, dummodo et musicum opus et collata ad tibias vox gravem stylum redoleant, eumdemque comparem et omnino similem vocis organi propriae.

21) In pompis extra templum ab Ordinario permitti potest symphoniacorum catervae participatio, dummodo ne quovis modo profanos psallat concentus. – Optandum est, in huiusmodi vicibus, symphoniacis munus hoc unum tribui, ut spirituale aliquod canticum moderentur, sive latino sive vulgari eloquio a cantoribus propositum, aut a piis congregationibus, quae pompa adsunt.

VII.

Liturgicae musicae amplitudo.

22) Minime licet, cantus sive sonus causa, sacerdotem ad altare ultra tempus caeremoniae liturgiae conveniens immorari. Iuxta ecclesiastica monita, *Sanctus* in Missa ante « elevationem » absolvendus est; quamquam et ipse sacerdos sacra peragens cantorum rationem habere debet. *Gloria et Credo*, ad Gregorianae traditionis normam, breviora sunt.

23) Damnandum denique habendumque loco abusus gravissimi quod in sacris caeremoniis secundae partes deferri liturgiae videantur, quasi haec famulatum musicae praestet: quum contra nonnisi pars liturgiae musica sit, humiliisque eiusdem ancilla.

VIII.

Modi ad rem exsequendam praecipui.

24) Ut constituta heic ad amussim perficiantur, Episcopi, ni iam id praestiterint, in suis dioecesis coetum virorum constituent apprime musicam saeram callentium, quibus, opportuniore quo poterunt modo, munus committant inquirendi in musica opera, quae suis in templis canantur. Neque id solum current, ut sint ipsa probabilia, sed etiam ut cantorum virtuti respondeant, atque optime exhibeantur.

25) In clericorum seminariis atque in ecclesiasticis collegiis, ex Tridentinis decretis, magna cum diligentia et amore ab omnibus co-

latur quem supra laudavimus Gregorianus cantus traditione acceptus; quiique praesunt rem adiuvant late subiectorum animos confirmando, laudibusque cumulant. Item, ubi fieri poterit, inter clericos *Scholae Cantorum* institutio provehatur ad sacram polyphoniam bonamque musicam liturgicam optime exsequendam.

26) In ordinariis praceptionibus liturgiae, moralis disciplinae, iuris canonici, quae theologiae tironibus impertiuntur, ea ne omittantur, quae ad principia legesque musicae sacrae proprius accedant; imo curetur ut eiusmodi institutione peculiari eruditione de pulcri specie, seu de aesthetica artis sacrae perficiatur, ne clerici e seminariis dimittantur harum cognitionum ignari, quae necessariae sunt ad cultum ecclesiasticum integre absolvendum.

27) Curae quoque sit ut, apud tempora saltem praecipua, antiquae *Scholae Cantorum* restituantur, quemadmodum optimo fructu pluribus in locis factum est. Haud tamen divinae rei studioso clero difficile erit scholas has vel in templis minoribus et rusticis condere; quin etiam modum facillimum inde inveniet apud se congregandi pueros atque grandiores natu ad ipsum utilitatem populique optimum exemplum.

28) Superiores musicae sacrae scholae proviribus sustineantur atque evehantur; ubi autem non sint, ad ea constituenda opus conferatur. Maximi enim momenti est Ecclesiam ipsam ad suorum magistrorum, organicorum et cantorum institutionem incumbere, iuxta vera artis sacrae paecepta.

IX.

Conclusio.

29) Denique chori magistris, cantoribus, ecclesiasticis viris, seminariorum, collegiorum, sodaliumque religiosorum moderatoribus, curionibus, templorum rectoribus, collegialium cathedraliumque ecclesiarum canonicis, atque praecipue dioecesum Ordinariis commendatur ut omni diligentia sapientibus hisce reformatiobibus faveant, iamdiu desideratis, atque ab omnibus constanter invocatis, ne ipsa Ecclesiae auctoritas, quae non semel eas proposuit, nunc autem rursus suadet, in contemplationem adducatur.

SS. RITUUM CONGREGATIONIS DECRETUM

DE REGULARUM CIRCA MUSICAM SACRAM OBSERVANTIA.

URBIS ET ORBIS

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X *Motu Proprio* diei 22 Novembris 1903 sub forma *Instructio de musica sacra venerabilem Cantum Gregorianum iuxta codicum fidem ad pristinum Ecclesiarum usum feliciter restituit, simulque praecipuas praescriptiones, ad sacrorum concentuum sanctitatem et dignitatem in templis vel promovendam vel restituendam, in unum corpus collegit, cui tamquam *Codicis juridico musicae sacrae* ex plenitudine Apostolicae Suae Potestatis vim legis pro universa Ecclesia habere voluit. Quare idem Sanctissimus Dominus Noster per hanc Sacrorum Rituum Congregationem mandat et praecipit, ut *Instructio* predicta ab omnibus accipiatur Ecclesiis sanctissimeque servetur, non obstantibus privilegiis atque exemptionibus quibuscumque, etiam speciali nomine dignis, ut sunt privilegia et exemptiones ab Apostolica Sede maioribus Urbis Basilicis, praesertim vero Sacrosanctae Ecclesiae Lateranensi concessa. Revocatis pariter sive privilegiis sive commendationibus, quibus aliae quae-*

omnique cantus liturgici recentiores formae pro rerum ac temporum circumstantiis ab Apostolica Sede et ab hac Sacra Congregatione inducebantur, eadem Sanctitas Sua benigne concedere dignata est, ut predictae cantus liturgici recentiores formae, in iis Ecclesiis ubi iam inventae sunt, licite retineri et cantari queant, donec quamprimum fieri poterit venerabilis Cantus Gregorianus iuxta codicem fidem in eorum locum sufficiatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

De hisce omnibus Sanctissimus Dominus Noster PIUS Papa X huic Sacrorum Rituum Congregationi praesens Decretum expediri iussit. Die 8 Ianuarii 1904.

SERAPHINUS Card. CRETONI, S. R. C. Praefectus.
DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodiceen.
S. R. C. Secretarius.

ANNUS MDCCCCIII.

QUUM ad anni MDCCCCIII exitum pervenire datum sit, non de futuro vaticinari audebimus; sed potius, aliquantulum meditantes quam cito heu! annorum fluxus effugiat, de peractis inter annum mox elapsum atque de deducta vita summam brevi recolemus. Quamvis huiusmodi cogitatio non sine aliqua moestitiae nota privatum esse potest, quem unusquisque nostrum sese reprehenderit de boni particulis quae eum praeterierunt, nihilominus ad publica negotia cum conversus fuerit oculus, haud pari moerore digna ea omnino et undique inveniet, illudque prorsus iterare cogetur quod sapiens antiquitus effari assueverat: « Sunt bona mixta malis ».

Sed Catholicae Ecclesiae praesertim in rebus gestis, memoria dignus non peritura annus hic MDCCCCIII apparuit. In senem Pontificem, qui Vaticana ab arce universum mundum moderabatur, diurna consuetudine nostrum omnium oculi convertebantur quasi ad navis gubernatorem, cuius se manibus tantum nautae viatoresque media in procella permisissent. Huius terruit nos aegritudo, mors autem dolore affecit immenso, unaque nobiscum omnes gentes maximo eventu veluti stupentes obmutuerunt, quique acerrimi Romanae Ecclesiae hostes censabant suae eius in obitu reverentiae, non sine omnium stupore, atque admirationis tributum persolverunt.

At brevi luctus mora fuit, cum vir Leoni successerit, qui Romani Pontificatus munera omnia et iura invicta pariter constantia assereret et gereret, cuius immo regni initia faustum veluti auspicio esse videntur de uberrimo bonorum fructu, quem in animarum salutem Pontifex colligit. Iamvero restituendum ei fuit in omnes humanos errores et scelera bellum, quod eius ministerii proprium est; in quo conflictu nonnulla iam edidit et plura edet documenta; quorum prima, in varias sententias de publica re prope abeuntia, ut ad unam eamdemque semitam omnes iuncto agmine redirent, monuere. De gerendis enim in publicum communitatis bonum operibus eas dictavit Pontifex normas, quae sitientibus aequitatem et iustitiam hunc memorabilem annum efficient.

Verum tertius ille vigesimi saeculi annus vestigia etiam post sese reliquit, eaque doloris

et sanguinis. Ad illa praesertim me refero quae contra libertatem omnem apud Gallos in sodales religiosos tentata sunt. Pugna enim quae iamdiu contra Ecclesiam Christi ibi gerebatur, ad maximum veluti furorem dedueta apparuit editis legibus quae fratres, nisi divina spes erigeret, in salutem patriae suea desperandam adduxisset.

Nefarium autem cladem Serbi viderunt, ab exercitu suo in legitimum regem eiusque uxorem perpetrata: infanda sane illa dies et quae memoria deleretur digna prorsus; atque opprobrium inde in universam Europam, libero pede nullaque poena passam, regicidas per regnum crimine usurpatum discurrere tutoque animo esse!

Macedonicum bellum praeter haec fuit insigne; qui vero, tot ac tanta crudelissima belandi ratione, ad patriae suea vindicandum imperium tentarunt, haud multa magis obtinuerunt adhuc, quam antea assequuti essent, tum Turcarum sponsiones, tum exterarum gentium commendationes, verba denique... praetereaque nihil.

E contra, res cessit faustissime Panamensibus, qui sese a ditione Columbiana abducere cupiebant; qui profecto, auctoritate Americanae nondiae foederationis protecti, suam terram nova república constituerunt.

Praecipua haec peracti anni gesta. In novum annum, si faveat Deus, meliora speramus futura; quamquam, dum scribimus, in extremis Orientis litoribus gravis nubibus cogitur aer...

DE ARCANI DISCIPLINA.

QUONIAM his temporibus, nec pauci, nec minimi subsellii scriptores Ecclesiae catholicae doctrinam acerrime infitantur; omnes catholicae theologiae cultores in eo sint oportet, ut, collatis viribus, adversariorum impetus redundant. Vide Lutheranae defectionis exitus valde dolendos! Semel enim libertate rationis constituta, non habent Ecclesiae hostes ubi firmiter consistant. Hinc eorum miserandum discidium; hinc seditio insana contra civiles ac religiosas potestates; hinc civilis illa Galiae perturbatio; hinc demum putidus « rationalismus » aetatis nostrae!

Ut autem Ecclesiae hostes veluti rationem iniquae defectionis exhibeant, continenter opponunt, Ecclesiae catholicae doctrinam fuisse corruptam; doctrinam, quam Apostoli et Patres Ecclesiae, praesertim antiquiores, fidelibus tradidere, puriorem. Id autem confirmant hac praecipua ratione, quod Patres Ecclesiae antiquiores de aliquibus fidei nostrae capitibus, sive dogmatis vel nullimode loquuntur, vel ita obscurae, ut eorum doctrina inutiliter ad veritatis confirmationem adducatur. Huiusmodi difficultati theologus catholicus satisfacit, ostendendo, primis Ecclesiae saeculis viginisse « arcani disciplinam », quae non patiebatur, eos de nonnullis veritatibus aperte loqui.

Ne autem ista assertio omnino gratuita dicatur, putamus haud inutile fore, si de huius-

modi disciplina sermo rursus in *Voce Urbis* instituatur (1).

❧

Disciplina arcani ea dicitur maiorum consuetudo, usque ad saeculi V finem in Oriente producta et usque ad medium saeculum VI in Occidente, qua nonnulla religionis christiana mysteria et ritus Ethnicis, Iudeis et Catechumenis celabantur.

Hinc facile colligitur, pro nondum baptizatis tantum, secretum illud servari; hinc etiam colligitur, contra rei veritatem « rationalistas », ducibus Tentzel, Casaubono, Basnagio, Clerico, Bingham et aliis, ita definire disciplinam arcani, ut fuerit consuetudo in Ecclesia saeculo II inducta, qua Ethnicis, Iudeis, Catechumenis nonnulli ritus tantum celabantur, ne animi sapientium simplicitate illorum offenderentur.

Disciplinam arcani viguisse documenta innumera testantur. Frequenter enim veteres Patres et scriptores ecclesiastici haec habent: « Τοσαντούς οι μεμνήσεων, norunt initiati quod dicitur ». Hoc autem minime dicent, si veritates fidei essent omnibus notae. Ad rem Tertullianus (2) scribit: « Non omittam ipsius etiam conversationis haereticae descriptionem, quam futile, quam terrena, quam humana sit; sine gravitate, sine auctoritate, sine disciplina, ut fidei suea congruens. In primis quis catechumenus, quis fidelis incertum est: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant. Etiam ethnici si supervenerint, sanctum canibus et porcis margaritas, licet non veras, iactabunt ». S. Basilius (3) confirmat arcani consuetudinem, imo eius originem ipsis Apostolis tribuit: « Qui initio (ait) certos Ecclesiae ritus praescripserunt Apostoli et Patres, in occulto silentioque mysteriis suam servavere dignitatem! Neque enim omnino mysterium est quod ad populares et vulgares aures effertur ». Quare S. Cyrillus Alex. (4) scribit: « Plurima de his alia veraque dicem; nisi profanorum aures metuere ». Dubitari ergo nequit, quin exstiterit primis Ecclesiae saeculis arcani disciplina.

At concedamus, consuetudinem celandi dogmata ritusque Ecclesiae nondum baptizatis, non exstitisse; demus etiam, Patres de nonnullis fidei veritatibus siluisse, quod eas ignorarent; quomodo igitur factum est, ut mira haberetur circa fidem consensio in concilio Nicaeno, cum ccxxviii Patres solemniter fidem suam professi sunt? Quomodo factum est, ut ecclesiae schismatiae ab Ecclesiae catholicae unitate abhinc octingentis annis avulsae, profiteantur easdem veritates, quas nos profitemur, si Ecclesiae fides Patribus antiquioribus esset ignota?

Opponat forte aliquis, disciplinam arcani contradicere verbis Christi praecipientis: « Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quod in aure auditis praedicate super tecta ». At frustra: nam Christus, hoc loco, discipulis suis praecepit, ut nullo metu apostolatus munia exerceant; quod confirmat his verbis: « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam vero non possunt occidere »; et: « Qui confitebitur

(1) Cfr. scriptum S. FIGIELSKI, an. VI, num. IV, VI, VIII.

(2) *De praescriptionibus adversus haereticos*, cap. XII, num. 1.

(3) *De Spir. S.*, cap. 25.

(4) *Contra Julianum*, lib. 7.



Deiparae Purificatio in pictoria arte.
GIOTTI tabula in Franciscano templo Asisii.

me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo » (1).

Ceterum, etiamsi illis verbis Christus discipulis suis praeceperisset, ut quae ab Ipso audivissent, in mundum universum praedicarent; hoc tamen iuxta prudentiae regulas a Christo ipso praeeceptas. Christus vero discipulis praecipit: « Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculeant eas pedibus suis et conversi disrumpant vos » (2). Quae quidem Patres intelligunt de pracepto celandi nondum baptizatis mysteria fidei nostrae, ut videre licet apud Schelstrate, qui Patrum doctrinam de hac re diligenter collegit. Ipse vero Apostolus in epistola prima ad Corinthios scribit: « Tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis » (3).

Animadvertisendum autem, licet mysteria carentur profanis, tamen rationabilibus ex causis de illis quoque habitum quandoque fuisse sermonem. Ita cum vulgarent religionis hostes falsa et immania scelera patrari in christianorum conventibus, Iustinus exhibuit Antonino Pio imperatori, filiusque adoptivis M. Aurelio ac Lucio Vero et Senatui romano, suam primam pro christianis apologiam; in qua fidem nostram, praesertim de baptismate et eucharistia, clarissime exponit. Quare non ignorantia mysteriorum impedivit, quominus Patres de his loquerentur, sed disciplina sapientissima, quae, non a conciliis instituta, sed semper in Ecclesia retenta, ab ipsis Apostolis derivasse dicenda est, iuxta notum Augustini principium: « Quod universa tenet ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur ».

Sed, ne longiores simus, satis hodie sit; quodnam fuerit arcani disciplinae obiectum, quae nam eius utilitas, quanti autem momenti sit hodie in disciplinis theologicis, haec alias prosequemur.

B. DI DARIO.

(1) MATTH., X, 27, 28, 32.
(2) MATTH., VII, 6.
(3) I ad Cor., III, 2.

rima, qua coram mysterium compleetur, efficitis que, praeter consuetas Sanetae familiae imagines, novis personis, quae tabulam ditarent.

Saeculo xv ineunte, una cum pictoria arte ad perfectionem ascendit ipsa mysterii representatio. Eam Philippus Lippius in Pratensi Spiritus Sancti templo, eam Francia in Caesananum curionum aulis, eam Victor Carpaccius in Veneta pinacotheca ostendunt. Angelos musicis organis ludentes Carpaccius addidit, alii, ut Florentiae Albertinellius, in Iesu parentum manibus cereos ardentes posuere. Bartholomaei Montagna admirabile opus est ad rem in civico musaeo Vicentino; in Saronnensi vero sanctuario Bernardi Luini egregia pictura manet, quae, uti lectoribus videre licet, — eam enim quoque cum Franciae tabula heic praebemus, — rem omnem effingit quemdam ante arcum propositam, cuius ex vacuo renidentes campi conspicuntur. Ipsa Anna prophetissa rusticu veluti habitu appetit, novaque figura addita est, villiens ovem gestans, qui mulieres turtures afferentes ad oblationem sequitur.

Haec profecto naturae festiva representatio in tanti mysterii pictura videtur peculiari nota digna, quippe quae monstrat iam veluti auspicium de novo pingendi more, quem mox Leonardus ille maximus eiusque discipuli late induxerunt.

DE MUSICA SACRAE RATIONE INNOVANDA.

QUEAE constituta recens motu proprio Pii Papae X de musicae sacrae ratione innovanda edita sunt, duo simul, aut fallimur, spectare videntur; alterum ne alti nimium sonitus clamantesque concentus, theatrorum caevis interdum magis quam templis dignae



Deiparae Purificatio in pictoria arte.
FRANCISCI FRANCIA tabula Cesanae asservata.

voes, inter saera audiantur, alterum ut vetus instauretur canendi modus, qui, a primis Ecclesiae saeculis invaluit, quem deinde Gregorius ille pontifex cognomine Magnus digessit, suoque nomine sacrum fecit.

Historiae iura potissimum lex a Pio X lata tueruntur: opus enim lege perfecit, quod medio iam a saeculo Benedicti Patris asseciae instaurandum sumpsere. Horum nisu praesertim paleographica disciplina musices quoque libris investigandis aptata est, qua duce lieuit codices tandem perlegere veterum «neumaticis notis» conscriptos, quas nemo hactenus per monasteriorum bibliothecas et basilicarum tabularia exploratas late habuerat.

Pio IX sa. me. regnante, huiusmodi exploratio coepit fuerat, quo tempore primum Prosperi Guerangerii, illustrissimi monachi, opera ad ritus Romanae Ecclesiae Gallia omnis in ipsis canendi modis rediit.

Qui autem factum sit ut vel in ipsa Urbe nemo iam Gregorii Magni cantus bene canere peritus esset, ardua quaestio. Verum id praesertim animadvertisendum, quod delabentibus saeculis *Antiphonarium* illud et *Sacramentarium* Gregorianum novi cantus corruerant, certo adposito rythmo ab illis prorsus alieno, qui suavem eorum dulcedinem maxime sustulit. Non defuit quidem Tridentinorum Patrum, et clarorum musicae artis magistrorum cura, qui plura suaderent ad instaurandum vetustum canendi morem; quinimo pluries id pertentatum historia docet a Gregorio XIII Pontifice ad Paulum V, quo sedente Medicea illa cantuum editio prodiit, quam iniurie plures Petrus Aloisio Praenestino tribuerent. Verum plebs fidelium parum benigne novos conatus sequuta est, atque *Medicea ipsa* instauratio brevem vitam eamque miseram duxit, oppressam praesertim musices profanae copia, quam uberrimo fonte Musae a XVI usque saeculo ad XIX condiderunt (1).

Hac vero postrema aetate, Gregorianis iterum florentibus studiis, Rhemens, Dignenses, Ratisbonenses veterum cantum libri praelo tradebantur, Germanicusque Haberl doctor Pustetiano huiusmodi incoepit singulari peritia, quamquam impari fructu, advigilabat. Eius quidem opera et studio, manuscripto quadam vetere e Sacrae Congregationis de Propaganda Fide tabulario deprompto, Medicea vetus lectio plurimis in locis emendata atque perfecta est;

(1) Adde, Mediceam ipsam editionem ob corruptum Gregorianum cantum, eiusque verum sensum perditum, minus commendabilem evasisse.

sed de Pustetianis privilegiis ad triginta annos a Sancta Apostolica Sede concessis elapsi sunt dies iam anno MCMI; quo tempore et Galli editores et Belgae in eamdem operam ut agere sibi licet obtestati, rem in medium iterum attulerunt.

Nunc Pius PP. X, inito vix regno, Ipse rem suam fecit atque benedictinianum praesertim genus canendi videtur fidelibus proposuisse, ut monachi illi iamdiu investigantes antiqua sui Ordinis Missalia, utuntur. Itaque novus Pontifex historiae partes et artis musicae audax vindicavit, effecitque ut summi Gregorii cen-

fidelibus credenda sint ineffabili magisterio ac solemni manifestazione proponuntur, disciplinae leges, ad quarum normam christianam vitam exigere oportet, constituantur, haereses efficacius coercentur ac profligantur, consuetudines declarantur.

Concilium generale a particularibus eo distinguitur, quod ex omnibus orbis partibus Presules ad illud adveniant; inde e græca fonte «oecumenicum» ei nomen, id est universale, quasi «ex tota terra habitabili». Aligherius momentum et vim hujusmodi concilii affirmans, «concilium principale» appellat, scribens:

«Cum Ecclesia sunt veneranda illa concilia principalia, quibus Christum interfuisse nemo fidelis dubitat; quem habeamus, ipsum dixisse discipulis ascensurum in caelum: — Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem saeculi, — ut Mattheus testatur» (1). Itaque generale concilium id est, ad quod Romanii Pontificis auctoritate omnes ordinarii Ecclesiae Episcopi vocantur ad Ecclesiae negotia cum deliberandi facultate transigenda (2). Inde facile coniicitur iustum convocandi caussam Ecclesiae necesse esse ad idem concilium indicendum, quique intersunt (3) duas gerere partes, legislatorum et iudicium, quas quidem unusquisque exercet non in eam tantum fidelium partem, quae sibi commissa est, sed in Ecclesiam universam, sive iure ab universae Ecclesiae Primate communicato, sive, circa Episcopos, iure proprio, supposita divina Clericorum institutione, quae porro tenenda est (4).

Sed tamen eorumdem facultas duplice regitur conditione, sive ex ipsa rei natura orta, sive ex divina Ecclesiae constitutione; scilicet: a) ut in iudiciis fidei, quae natura sua varia esse non potest, se-

cundum rem iudicatam, si qua forte praeesserit sive alterius Concilii, sive solius Romani Pontificis, iudicandum sit, non autem contra illam; b) ut cum Romano Pontifice, sine quo Ecclesiae corpus truncum et acephalum est, Concilii Patres in sententiis ac legibus ferendis coniuncti esse debeat ita, ut illae eiusdem confirmationis indigeant ut firmae sint ac legitimam habeant constitutionem (5).

(1) *De monarch.*, III, 3. — Particularia concilia vel *nationalia* sunt, quae a Primate aut Patriarche ex tota regione quae eorum iurisdictioni subest, coguntur; vel *provincialia*, quae a Metropolita ex provincia sua; vel *diocesana*, quae ab Episcopo ex propria dioecesi convocantur.

(2) Cfr. *Devoti, Inst. Can. Proleg.*, § 38 sqq.

(3) Ex Apostolico Sedis privilegio intersunt Concilio oecumenico etiam Cardinales non Episcopi, moderatores supremi Ordinum regularium, abbatii consecrati et iuris dicti habentes.

(4) *SCHMALZGRUEBER, Dissert. proem.*, n. 326 sqq.

(5) *ZITELLI*, op. cit., art. I.



Deiparae Purificatio in pictoria arte.

BERNARDINI LUINI tabula.

tenaria solemnitas dum properat, triumphum illi amplissimum pararet.

De Gregoriano cantu ac de vocali polyphonia ad praecepta Petri-Aloisii Praenestini fusa recens in *Voce Urbis* disserimus; qui igitur utriusque musicæ rationis normas in mentem sibi reducere cupiat, eum ad fasciculos XI, XIII et XIV an. VI delegamus.

DE ECCLESIA CONCILIIS GENERALIBUS.

NON tantum sacrae theologiae, sed iuris doctrinae cultoribus summi momenti est Conciliorum Ecclesiae cognitione, generalium praesertim. In his enim — uti adnotat Zitellius (1) — quae

(1) ZEPHRINI ZITELLI-NATALI, *Epitome historicæ-canonica Conciliorum Generantium*. Romæ, ex typographo fr. Monaldi, MDCCCLXXXI.

FABULAE SELECTAE FONTANII
A IOANNE BAPT. GIRAUD LATINE REDDITAE
PASSIM RETRACTATAE A FRANCISCO XAV. REUSS(1).

CXX. — DUO COLUMBI.

*Foedus amicitiae duo percussere columbi;
Mox tamen e sociis unus abire cupit.
« Mene fugis fratrem? sic alter - aritaque tecta
Deseris, exsiliū causa maligna tui?
Siccine me spensis, deseror? Siccine longam
Aggrederis, vecors, difficilemque viam?
Si migrare libet, migra quum frigora tandem
Martius expulerit, vere tempeste nro.
Cur ita festinas? Modo corrus fata sinistra
Nescio cui volucrī rauclor occinuit.
Heu! tibi mille vigil mala sopitusque timebo:
Accipitres, pedicas, plumbea grana, necem,
Si pluit, anxius haec quaeram: Domus hospita fratri
Num peregrinanti, num pia mensa patet?»
Hoc tam sollicito motus sermone viator,
Consilium praeceps iam revocare parat.
Acrior illa tamen vicit nec sana cupidio,
Vanos quae iuvenes ad peregrina rapit.
« Terge tuos - abituras ait - fratercula, fletus;
Quatuor ante dies docta revertar avis.
Quidquid et expertus fuero mirique novique,
Promam, dum sitiens tu recitata bipes.
Audax, nativis qui non excesserit oris,
Is nihil, unde rudes edoceantur, habet.
Curricula te fida mei recreabit imago,
Ac si conspiceres cominus acta mihi.
Dicam: Non conficta loquor; tales ego casus
Offendi; tales iuvit adire plagas».
Post haec verba, vale gemebundum fundit uterque,
Atque viator iter suspicit aerium.
Mox oritur nimbus; volitanti sola fit arbor
Obvia, quae pluvias haud prohibere queat.*

*Nubibus exactis, nitido sub sole columbus
Imbre gravem siccāt frigidulamque togam.
Esurit hinc ales, simul et bona farra per agrum
Sparsa videt; turtur stat prope farra soror.
Irruit in coenam ieiunus frater inemptam;
Irruit et capitū: rete latebat humi.
Stamien erat tritum; pede sic captivus et ungue
Nititur et rostro, semet ut expedit.
Pluma tamen periit sat multa; nec ille malorum
Finis: depulmē deteriora manent.
Relliquias laquei dum fert in crure columbus,
Ceu, male disseco compede, verna fugax:
Apparet specie truculenta vultur, et auras,
Praedam capturus, funebris umbra secat.
At simul impendens aquilina supervenit ala,
Fulmine quae citior vulturis ora petit.
Bini luctantur praedones, atque columbus
Interea parvus diruta tecta subit.
Sperat se tandem requiescere posse, nec ullum
Illatura sibi diruta tecta malum.
Sed puer (est pueris pectus crudele) sedentem
Aggressus, saxi verbere paene necat.
Exsecrata diem, quo rura paterna reliquit,
Ad nidum volucris denique laesa redit.
Excipit impransam studiosus frater, et alis
Ac pedibus claudam semianinemque fovet.*

*Carpere quisquis iter statuisti, lector amice,
Ne procul a patria sede, viator, eas;
Quaere tuos inter cives solatia vitae;
Carius orbe tibi sit genitale solum.*

(1) Cfr. an. VI, n. XXII.

Convocato concilio, Episcopi quique alii invitati sunt accedere debent, nisi legitime impedianter; neque tamen oecumenici concilio qualitas detrahitur si quis, imo etiam maxima Episcoporum pars non intersit. Pontifex ipse sive per legatos conventui praeest, primam sedem habet (1), rerum agendarum rationem disponit, conventus disciplinam moderatur, primus denique acta subscrifit. Sed tamen, peracto concilio constituta in ipso ab eo debent confirmari, ita ut absque confirmatione hac neque certam scientiam, sive, prouti vulgo dicitur, infallibilitatem, nec vim ullam concilium habeat (2).

Sapienti denique mente in Tridentina Synodo ac Vaticana constitutum est ut Congregacionibus generalibus particulares quidam coetus praemitterentur, quibus materies generali conventui sufficienda apte praepararetur, tranquilleque prius examinaretur; idque ad praeavendum tum confusionem, tum privatas conspirationes, tum denique deliberationes inopinas, quae turbulenti cuiuspam ingenii eloquentia extorqueri fortasse possent (3).

Oecumenica concilia, quae hoc usque habita sunt, ad xx numerantur, quae «canonistae», omissis Constantiensi an. MCCCCXIV-XVIII (quod a pluribus prouti Generale non habetur), ac

(1) Ordo quo in oecumenico concilio sedendum ac deinceps subscendendum est, habetur prouti sequitur: 1) Romani Pontificis Legati; 2) Cardinales; 3) Patriarchae; 4) Archiepiscopi; 5) Episcopi «habita ratione temporis promotionis ad Ecclesiastis» (Cfr. Const. Non mediocri Eng. PP. IV an. MCCCCXXXVIII; Const. Sicut ea Pii PP. IV an. MD).

(2) Cfr. ZACCARIA, *Anti/febr.*, p. II, 4.

(3) ZITELLI, op. cit., art. I in fin.

Vaticano, an. MDCCCLXX interrupto, ut facilius in memoriam redigerentur, initialibus syllabis latinis ita divisorunt:

NI-CO-E (= Nicaenum I, Constantinopolitanum I, Ephesinum).

CAL-CO-CO (= Chalcedonense, Constantinopolitanum II, Constantinopolitanum III).

NI-CO-LA (= Nicaenum II, Constantinopolitanum IV, Lateranense I).

LA-LA-LA (= Lateranense II, III, IV).

LU-LU-VI (= Lugdunense I et II, Vienense).

FLO-LA-TRI (= Florentinum, Lateranense V Tridentinum).

Nos autem de praecepis huiusmodi Conciliis, singillatim ac peculiariter, prouti offeratur occasio, in commentario nostro dicemus.

GEOGRAPHICAE NOTAE
DE MANDCHOURIA, IAPONIA ET COREANO REGNO.

QUONIAM belli rumores ea praesertim litora attingunt, quae tertio abhinc anno Europae gentes universas in procinetu viderunt, iam dicere tempus suadet de populorum moribus, qui iis in regionibus incolunt.

Mandchourii, Coreani, potissimumque Iaponii in causa sunt. Hi ut Coreanum sibi imperium adserant, ut Russos a Mandchouriae finibus arceant iamiam ad arma veniunt; Russi ut captam diuturnis studiis, laboribus, impensis gravissimis operibusque ingentibus provinciam tuean-

tur, ut Coreanum regnum non sinant in aemulorum ditionem cedere. Eequid autem? Nonne iam peracto Sinensium Iaponiorumque illo bello Coreanam terram, legitimam victorum praedam, sua auctoritate prohibuerunt? Non itaque de imperio hodierno certamen Iaponis est; veteres potius iniurias ulcisci volunt et futura abigere. Mirum vero apparet, duos inter contendentes, Sinenses, quorum praecepit de terris et regionibus, deque imperii incolumente bellum agitur, silere omnino atque ab armis sese abstinere. Nam, si provincia est illis antiquatis religione veneranda, ea potissimum Mandchouria apparet, moenibus illis celeberrimas, quibus suam clausere a septemtrionibus terram, et ipsa in parte praecincta, quae regnanti hodie Sinensium genti atque incunabula veluti constituit. Non tam enim Mongolica stirpe, quam Tartarica Sinensis regia gens militumque eorum ordines orti sunt, qui a XVI usque saeculo imperium invaserunt.

Iaponii contra Mongolica omnes ex arbore veniunt, Sinensibusque veluti cognati accipiuntur. Hi modo notissimi, prae nonnullis quoque Europae populis inter nostros sunt, ea prae-cessim de causa quia geographicae disciplinae provehendae maximo studio operam dedere. Sodalitium eorum recens, inter multa, est conditum, in quod tria iam millia sociorum convenere huius causa disciplinae. Quod non potuit tantum ipsa civium voluntas, quam legis imperium, quo praeceptum est ut eruditio populi ita curaretur ut sexcentis saltem quibusque civibus ludus pueris erudiendis pateret. Iaponii vero non tam huic disciplinae, quas litteris atque omni philosophiae operam dedere. Eas inter, artis bellicae praecessim solliciti, eum instruxerunt exercitum eamque classem, quibus parta iam ipsis Sinensis Victoria est, et virtutis laus concessa prae omnibus tum Americae tum Europae militibus, una in Sinensium fines collectis, quibus denique cum Anglis foedus fieri contigit praemium.

Sed Coreanis, quorum forte per terras proximum bellum avertat Deus, omnino alia eaque inferior publica pariter res atque privata adhuc iacet. Etenim, tum regnantibus Ning regibus, tum deinde Tartaro sub imperio, Sinenses reges Coreanum semper regnum sua in tutela ita habuere, ut suos mores civibus dederint, et vivendi rationem suam eos docuerint.

Omnis militia, quae octingenta usque hominum millia attigisse dicitur, vix tres legiones satis instructas Seoul in urbe capite habet, ballistis ignivomis munita; reliquum omne turba est incolta et inordinata, classis autem nulla in regno omni provinciis octo distributo, unice regis auctoritati subiectis.

Huius de fatis lis agitatur, huius de sorte bellum forte agitabitur.

URBANA RELIQUIAE.

DE CATHEDRA S. PETRI.

SI Latinae vocis vim peculiarem spectemus, «cathedra», ex Graeco fonte, sedile, sellam innuit, eam praecessim molliorem et delicatiorem, qua utebantur mulieres et delicati etiam homines, eademque non solum domi, sed

etiam foris, lecticae loco. Iuvenalis eam introducit ad magistrorum sellam indicandam, inde aliquando sumpta est pro ipso docentium munere; apud Sidonium (in *conc. post epist.*, 9, l. 7) ponitur denique pro sella et munere episcopali, ad symbolum scilicet Ecclesiastici magisterii. Hinc factum est ut cum de cathedra S. Petri agatur, non pauci intelligent supremi illius apostoli pontificatum, tum Antiochena in urbe, ubi « primam cathedralm » septem annos tenuit, in domo Theophilii, tum Romae, quo inde Petrus se transtulit.

Nos vero circa cathedralm S. Petri hodie pauca attingentes, de sella illa lignea loqui volumus, quae in Vaticanae basilicae summo altari inter tot primorum Ecclesiae temporum reliquias, asservatur.

Dicitur Petrus Apostolus, quum in Urbem pervenisset, ad Christianam religionem Pudentem senatorem adduxisse, qui Petrum deinde in suam domum in Viminali colle positam, — nunc antem templum, — recepit, ubi is fundamenta Romanae iecit Ecclesiae. Ibi etiam sellam occupavit, unde, throni ad instar, pontificium ministerium exercuit. Haec itaque sella religiose a primis illis Christianis post Petri mortem in coemeterio Vaticano servata est apud eius corpus, atque in ipsa summi Pontifices deinde sederunt tum in eorum electione, tum in sollemnibus celebrandis, usque ad Clementem nomine V, qui cum in Gallia tunc esset quando ad summum Pontificatum est electus, eo advocavit Patres, ut Lugduni coronaretur (an. MCCCV).

Alexander VII Petri cathedralm in mirifica aenea sede collocari iussit, quam adhuc videamus, opus ditissimum committens Ioanni illi Laurentio Bernini architecto, qui in id incubuit ab an. MDCLXIII ad an. MDCLXVII, ex aere impendens librarum 219061. Nunc itaque monumentum tot memoris illustre et Christianis nobis dilectissimum nec nostris oculis conspice, nec nostris labiis deosculari licet; si quis igitur eius descriptionem desideret ad historicos recurrat necesse est.

Verum habemus clarissimi christianaे antiquitatis magistri recens iudicium, cui S. Petri cathedralm attente ac diligenter perquirere concessum est; Ioannem dico Baptistam De Rossi, qui rei studuit an. MDCCCLXVII. Is docet pedes sellae—quatuor, horizontalia hastilia eos colligantia, stipitesque anterioris lateris ex quercu fabrefacta esse, atque pluribus locis, veluti ad detrahendas reliquias, discissa; tablam anteriorem autem, ex acacia, stylum medii, quod dicimus, aevi redolere, ad quam sententiam quoque inducunt ornamenta maeandris insculpta: ornatus vero ebure tessellatos, Herculis labores effingentes, vere ex aurea aetate manare. Concludit inde, ad Petri cathedralm posse vere addici partem ex quercus ligno et eburatum opus, fortasse cathedralm ipsam decorans, quam credibiliter Pudens senator sellam adhibuit curulem; reliqua ad exornandum postea fuerunt addita. Neque est praetermittendum hastilibus, quibus cathedralae pedes constant, ferreos annulos affixos esse, ut vectes inducerentur; unde colligitur cathedralm illam vere sellam portatilem fuisse.

Duplici festo die « cathedrala S. Petri » a

Romana Ecclesia commemoratur: die XVIII mens. Ianuarii, Romana; die XXII Februarii Antiochena; idque a vetustissimo tempore. Nonne inde etiam historicum testimonium deduci fas est et de S. Petri Romam adventu et de potestate suprema ei a Christo Iesu tributa?

DE CONGREGATIONE SUPREMA SACRAE ROMANAЕ ET UNIVERSALIS INQUISITIONIS.

HONORIS simul atque auctoritatis ordine, itemque gravitate rerum de quibus cognoscit, prima est inter sacras Romanas Congregationes quae a Sacra Romana et Universali Inquisitione appellatur. A S. Officii tribunalisive Inquisitorum haereticae pravitatis duxit originem, cuius conditor Innocentius III, post Albigensium expletum bellum exstitit, quodque instantे Sancto Raymundo a Peñafort, Gregorius IX confirmavit. Innocentius IV atque Alexander IV id tribunal non apud Gallos tantum, sed etiam apud Italos restituit, Ferdinandus autem V, Xixti IV Pontificis decreto, simile in Iberia constituit. Paulus denique PP. III, ad dimidium XVI saeculi, similibus iudicibus in Lusitania atque in Indiis positis, Congregationem S. Officii ex antiqua tribunalis constitutione deduxit.

Huic vero Congregationi Ipse se Pontifex praeesse voluit; Cardinales autem, duodecim saltem, eam constituant, quibus delecti ex omnibus ordinibus religiosis consultores accedunt. Praecepit vero eius officiales duo sunt; alter commissarii titulo, qui S. Dominici ex Ordine deligitur, una cum duobus sociis ex eodem Ordine, qui inquisitorum seu quaestorum partes adimplent, alter Assessor, ex antistitutum aulici numero saltem delectus, cuius est relatoris munus gerere tum coram Cardinalium Congregatione plenaria, tum coram Congressu, tum denique coram ipso Sanctissimo, qui semel in hebdomada eum audit.

Tertium vero post iudices, obtinet locum Advocatus, qui reorum ex officio a Sacra Congregatione ad omnes causas deputatur.

Causas enim Saera Congregatio cognoscit, tum haeresis, tum pessimorum Sacerdotum laicorumve criminum, quae omnino secreti lege arctissime servata instruit, ac denique, absque iure provocationis ullo, immutabili sententia diudicat.

Coetus nunc in palatio Sancti Officii proprio apud Vaticanan Basilicam bis in hebdomada certis diebus habentur.

EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE.

Ex Congregatione Indicis:

— In indicem librorum prohibitorum relata sunt opera quae sequuntur:

ALBERT HOUTIN. *La question biblique chez les catholiques de France au XIX^e siècle.*

ALBERT HOUTIN. *Mes difficultés avec mon évêque.*

ALFRED LOISY. *La Religion d'Israël.*

ALFRED LOISY. *L'Evangile et l'Eglise.*

ALFRED LOISY. *Etudes évangéliques.*

ALFRED LOISY. *Autour d'un petit livre.*

ALFRED LOISY. *Le quatrième Evangile.* — (Decr. d. 28 Decembr. 1903).

Ex Congregatione Sacrarium Indulgentiarum et Reliquiarum:

— Instituta Tertiiorum in Communitate degentium et vota simplicia emittentium, dummodo Ordinibus, a quibus nomen et habitum mutuantur, legitimate sunt aggregata, participant omnes Indulgentias a Romanis Pontificibus primis et secundis Ordinibus directe tantum concessas. Eorumdem Ecclesiae eisdem Indulgentiis gaudent, quibus Ecclesiae respectivi primi et secundi Ordinis fruuntur. Aliae Indulgentiae huiusmodi Tertiis Ordinibus antea concessae in posterum solis Tertiariis in saeculo viventibus sunt propriae (Ex decr. d. 28 Aug. 1903).

— In civitatibus et generatim locis, in quibus sunt constitutae duae dioeceses, vel Vicariatus Apostolicus, etc. eae facultates, quae sunt aliquorum Ordinum propriae, quaeque fuerunt concessae per speciale indulsum, cum clausula: « dummodo in dicto loco nullus eorumdem Ordinum conventus reperiatur, » exerceri valent in ea parte civitatis vel loci, in qua nullus adest conventus dictorum Ordinum, adest vero in alia (Ex decr. d. 28 Aug. 1903).

Ex Congregatione supra S. Officii:

— Abbates titulares sacram tonsuram et ordines minores conferre nequeunt, obtenta etiam in casu ab Episcopo opportuna delegatione. Quod si contulerint, repetenda est ex integro Ordinatio a collatione sacrae tonsurae inclusive (Decr. d. 15 Iulii 1903).

Ex Congregatione Sacrorum Rituum:

— Constat de validitate et relevantia Processus Apostolica Auctoritate constructi in Curia Andegavensi, super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere Ven. Servae Dei Ioannae Delanoue, institutricis sororum a S. Anna a Providentia nuncupatarum (Decr. d. 10 Novembr. 1903).

— Item Ven. Servi Dei Michaelis Garigoits, Sacerdotis Fundatoris Congniis Presbyterorum a SS. Corde Iesu (Decr. d. 10 Novembr. 1903).

— Absolutiones quae fiunt in exsequiis Summi Pontificis, Episcopi Ordinarii, vel Imperatoris etc. iuxta Caeremoniale Episcoporum et Pontificale fieri debent a dignitatibus et in Ecclesia Cathedrali vel in alia arbitrio Ordinarii, eligenda si ipsa Ecclesia Cathedralis impedita fuerit. In ceteris autem Ecclesiis et a simplicibus sacerdotibus non sunt facienda, nisi interveniente Apostolico Indulso (Decr. d. 20 Novembr. 1903).

— Rubricae et decreta circa Missas de Requie privilegiatas respiciunt etiam Missas de Requie, quae celebrantur pro Summo Pontifice, Episcopo Ordinario vel Imperatore, etc., ita ut hae postremae Missae nullo gaudeant speciali privilegio diebus per Rubricas vel decretis impeditis (Ibid.).

— Usus cantandi a cantoribus in choro antiphonam « Salve Regina » post Missam cantatam de Requie et immediate post absolutionem ad tumulum, cum celebrans revertitur ad Sacristiam, non est conformis Rubricis et vetatur (Decr. d. 20 Novembr. 1903).

— Consuetudo deferendi a Parocho Sacrum Viaticum infirmis comitante magno numero non confratrum, sed mulierum, quae umbellam et intorticia ferunt, tintinnabula pulsant, et rosarium recitant minime tolerari potest. Aliquos saltem adolescentes adhuc Parochus pro umbella, campanula et luminibus. Mulieres autem, si velint deferre lumina, sequantur sacerdotem (Decr. d. 2 Decembr. 1903).

— Episcopus extraneus vel Titularis nequit, in consulo Ordinario Dioecesano, atque in titulo, Cardinali Titulari, Missam et Vespertas Pontificales celebrare sedens in faldistorio, non utens baculo Pastorali, sed cum ornamenti Pontificalibus (Decr. d. 4 Decembr. 1903).



DIARIUM VATICANUM.

(Die **xxi** mens. Decembr. MDCCLXXXI ~ d. **xx** mens. Ian. MDCCCLXIV).

Coram SSmo admissiones.

Ut fausta felicia Summo Pontifici in supervenientem annum offerrent, de more a SSmo recepti sunt et Sacer Purpuratorum Patrum Senatus, cui Ipse orationem habuit de doctrina Bethlehemitici praecepit, et exterarum gentium legati, aulici omnes tum rei civili tum militari addicti, Romani patricii, ceterique sive iure, sive consuetudine admitti soliti.

Inter clariores autem viros recens auditos memoriandi sunt: De Biolley vicecomes, in publico legibus ferendis Belgaram coetu legatus; De Rusted chillicus, Sueciae ac Norvegorum regis militum magister primus; Von Hertling dynasta, Bavarus senator atque in coetu Germanorum legifero suorum civium legatus.

Praeterea excepti sunt Sacerdotum collegium in templo Vaticano admissis poenitentium expiandis praefectum; accensi Curiae Apostolicae et Sacrorum Rituum Congregationis; denique, die Cathedrae Petri Apostoli sacra, post auditam SSmi Missam, Petriana sodalitas ex Catholica Italorum inventore.

Pontificiae electiones.

Excēns vir Iosephus Macchi, archiepiscopus Thessalonicens., apud Barvaros apostolicus legatus, ad Lusitanos translatus est; Ianuarius Granito di Belmonte, archiepiscopus Edessenus, a Belgica apostolica legatione ad Austro-Hungarorum.

Carolus Caputo, archiepiscopus Nieomedieni, apostolicus legatus ad Barvaros dictus est; et Dominicus Serafini, episcopus Spoletan., apud Mexicanam civitatem.

Ioan. Bapt. Castro, archiepiscopus Serrarum, in auxilium excēni archiepiscopi S. Iacobi de Venezuela mittitur; et Hieronymus Comi Mediolanensis archiepiscopi.

Rm̄us vir Casimirus Skirmunt a consiliis S. Congregationis ad negotia ecclesiastica extraordinaria renunciatur; Petrus Angelini inter XII viros Urbicurandae refertur (1).

Rm̄i viri Alexander Lualdi, rector Urbani seminarii SS. Ambrosii et Caroli; et Ioannes Carolus Viale Prela ex Adiacena dioecesi inter antistites Urbanos adnumerantur.

Acta Pontificia.

Motu proprio die XVIII mens. Decemb. an. MDCCCLXII (edit. d. XXI) praecipua christiana democratiae fundamenta a Pontifice collecta revocantur.

Die XXVIII mens. Decemb. an. MDCCCLXII vulgatur chirographon de musica sacra instauranda.

Die VI mens. Ianuarii an. MDCCCLXIV Pontifex decreta profert tum in causa Strigoniensem seu Cassoviem, de martyrio, causa martyrii et signis VV. SS. Dei Marci Crisino, Stephani Pongracz et Melchiōris Grodecz S. I., tum in causa Aurelianensem, confirmans virtutes « in gradu heroico » V. S. Dei Ioannae de Arc., vulgo Puellae Aurelianensis.

Die XX *Motu proprio* SSmi electio Episcoporum ad Supremam Congregationem S. Officii avocatur; servatis tamen « ex integro rationibus et formis, quae in electione Episcoporum pro locis Sacris Congregationibus de Propaganda fide et Negotiorum Ecclesiasticorum Extraordinariorum subiectis, vel ubi peculiaribus Constitutionibus aut Concordatis res moderatur, in praesens adhibentur ».

ANNALES.

Bellum ad Coreanos.

De Iaponiorum Russorumque dissidio incerti admodum ac timentes animi omnium haerent. Quamquam enim Russorum Caesarem pacifico

(1) Magistro optimo atque carissimo, novo honore ture meritoque aucto Vox Urbis ex animo gratulatur.

esse animo passim diaria asserunt, certum est tamen propositas ab eo concordiae conditiones cum iuribus, quae sibi Iaponii vindicant, ex adverso pugnare. Quo fit, ut, non obstante ipsius Caesaris voluntate, aliquid in rem totam irreperserit incertum plane et dubium atque aleatorium, quod nisi oculata satis hinc inde legatorum prudentia abstulerit, verendum est semper, idque non iniuria, ne Iaponiorum prae- sertim satis concitati animi ad arma ruant, et aemulos congregantur.

Qui profecto videntur, Alexeievio illo duce moderante, ita rebus cavere suis, ut bellum forte, quod sit agendum, quam maxime in dies ineundum differant, rati Iaponiorum propinquaque esse litora et arma et acervos navalium rerum, sibi contra longe dissipata et impervia. Parare itaque necessarium ante omnia duxerunt satis densos sibi exercitus satisque fortes, atque instruere agmen satis praemunitum, Portum Arthurum omni bellica munitione firmare, naves colligere ibi quam plurimas, et carbonis augere cumulos, et commeatibus omnibus, qui ad bellum sint necessarii, tutum ponere refugium. Interea multiplicatur legatorum labor ut novas pacis servandae conditiones describant, examinent, acceptilent vel reiiciant, vel aptis clausulis emendent; sed neque belli neque pacis causa ad exitum perdueta hactenus dici valet. Hand multos abhinc dies Galli hinc, indeque Angli mediatores pacis esse velle videbantur inter utrumque populum; verum Iaponii legati superba mente asseruerunt, sese in sua contentione nullius egere mediatoris officio, negotia que sua velle a se pertractare.

★

Macedonica pax.

In Macedonum finibus nullius audacia hactenus pacem turbatam nuntiarunt, nisi scelesti cuiusdam, qui in acervum ignitam pulverem immittere conatus est. Res vero quum incassum cessisset, peregrinorum praefectorum in tutela commissum est perarduum illud negotium de cogenda, erudienda atque moderanda nova vigilum militum legione, cui Italus militiae magister praefectus est Aemilius De Giorgis. Quod speramus viro clarissimo iuxta spem eventurum, ita ut novae seditiones et tumultus, quos in ver proximum dilatos nunciabant, praevio remedio cohibere vel opprimere, vel disperdere liceat. Boris autem Saravofius, audax ille tanti belli dux, Europaeorum urbes et gentes lustrat, ut suorum causae assecelas non tam assequatur, quam pecuniam comparet.

★

Americana seditio.

Dum haec per Europam geruntur, ardet bellum in Africa atque in America. Heic, ut assuevit, de seditione agitur. Uruguayanam quae-dam factio in cives surrexit, ut a sede et imperio praeisdem eiusque assecelas pelleret seque in eorum munus sufficeret. Iamque bellum geritur consueta vice victoriarum et claudum, plus aequo sane haud eruentarum.

★

Africana Anglorum victoria.

Ex Africa terra contra, tandem aliquando accepimus pseudoprophetae illius equitatum ab Anglis esse fusum. Cui assequendae victoriae etsi Anglorum tantum exercitus adfuit, operam

tamen contulerunt suam, licet a longe, Abyssinenses milites, qui ex opposita via eundem hostem premunt et consequantur.

PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS.

IN Gallia Delcassé, exterorum negotiorum minister, eloquenti oratione de vi disseruit foederis et cum Russorum civitate, et cum Anglorum Italorumque initi. Brisson publici coetus legiferi praeses iterum renunciatus est.

In Hungaria lex tandem de novo delectu habendo lata est, una pariter ferentibus suffragium etiam oratoribus, qui solvendae patriae suae ab Austrorum foedere student.

In Lusitania coptae iterum sessiones municipum, ac de pecunia publica augenda quaestio agitata est.

In Norvegia regia oratio patefecit foedera de pace cum aliis Europae nationibus componenda agitata est.

In Rumenia Bratianus, exterarum rerum minister, fusa oratione et ipse Europae pacem alte invocavit.

AENIGMATA

a FR. PALATA proposita.

I.

Virus in ore meo latitat. Mihi praefice sigma; per venas vegetas vividus humor abit.

II.

Arbor opaca nemus decoro. Mihi praefice sigma; in lapidem formam cernis abire meam.

Ex sociis qui utriusque aegnimatis, interpretationem ad Commentrii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratus accipiet opus, cui titulus:

SATURIO

I. B. FRANCESIA comoedia.

Aenigmata an. VI, n. XXII proposita his respondent:

1) *Sum-mus*; - 2) *Sacer-dos*

Ea rite soluta miserunt:

Car. Stegmüller, *Sabaria*. — Ios. Wabner, *Varsavia*. — Senior Astensis. — Ferd. Ferrari, *Guastalla*. — Iac. Bertran *Figueroa*. — Guil. Schenz, *Ratisbona*. — Coll. Schol. Piaram *Stellae*. — R. Astori, *Firmio*. — Call. Amalberti, *Altio Intemelio*. — Princ. Gordon, *Mancunio*. — F. Skiba, *Striegau*. — V. Herzel, *Mendhusio*. — G. Graines, *Nicolisburgo*. — Seminarium Santanderense. — Mich. Vidal, *Palma*. — Henr. Tarallo, *Neapolit.* — Aug. Scriban, *Buzau*. — I. Galbiati, *Mediolano*. — I. B. Pesenti, *Cetana*. — St. Lawiski, *Niemystow*. — Ad Skrypkowski, *Swinice*. — P. Garrone, *Pezzana*. — I. Waver, *Vaals*. — I. Cantono Ceva, *Vercellis*. — A. Allaria, *Aug. Tauri*.

Sortitus est praemium

JACOBUS BERTRAN,
ad quem missum est D. Tamila opus, cui titulus:
DE EURIPIDIS IRONIA SPECIMEN.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.

The Pope. The Vicar of Christ; the head of the Church by Right rev. MONSIGNOR CAPEL, D. D., Domestic Prelate of His Holiness Pope Leo XIII. — Neo-Eboraci ac Cincinnati edid. Fr. Pustet et Loc.

— MONS. CAPEL. « Catholic »: an essential and exclusive attribute of the True Church. — Indidem.

— **Memorale vitae Sacerdotalis** auctore CLAUDIO ARVISENET. — Romae ex off. Congnis de Propaganda fide, 1903.

— Ακολουθία τοῦ Ακαθίστου "Τυπου εἰς τὴν ὑπεράγιαν θεότοκον". — **Officio dell'Inno Acatisto in onore della SSma Madre di Dio.** (Graece et Italice) — Indidem.

— PROF. VIRGINIO PRINZIVALLI. **Le Missioni Cattoliche al di là dei mari e Propaganda Fide.** — Indidem.

— PROF. G. B. BONINO. **Esercizi di stile Latino.** — Seconda edizione riordinata, ampliata e corretta.

— Aug. Tauri, Romae, Mediolani, Florentiae, Neapoli edid. I. B. Paravia et Soc., 1904.

— CORNELII TACITI ab excessu Divi Augusti liber XV. Recensione e note di SALVATORE ROSSI. — Indidem.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.
ROMAE — Ex officina *Paonis* Phil. Cuggiani.

PER ORBEM.

Si datum esset volenti quae suadet animus Sea brevi complecti, non me incertum atque inquietum orbis lustratorem esse malim mutantem hinc illuc penates lares; et verum, uno veluti mentis intuitu, circumire litora terrae, eaque rapidissimo cogitationis afflato pervestigare. Quod plane daretur, si in vitae commodum potius quam in mortem pulvis illa ignita ac praevalida ab Anglo centurione confecta esset, cui a velocitate nomen inditum est *veloxites*. Huius quidem cum apprime ullo sine termino durare vis noscatur, eamque nullo vel temporis cursu, vel aeris mala temperie corrumpi, intactos prorsus per saecula eius acervos ultimi quoque nepotes invenient et adhibebunt, ni ita Dii faverint, ut omnis bellicia voluntas omneque odium cruentum, vel libido illa pestifera imperio potiundi, armorumque et praeliorum studium ferox tandem aliquando ab humano genere exsulaverit, redditumque sit viventibus in pace aureum Iapeti tempus mellifluamque vivere vitam.



Quae dum expectamus, fervent odia, in dies que foventur irae pauperum in divites, opificum in dominos, laborantium die nocteque in degentes otio aetatem suam. Nonne Lutetianes illi cives harum contentionum mirificum prope sunt detrimentum experti ipso pane fere orbat quotidianus, cuius egemus saltem ad dies trahendos in terra? Haec potuere pistorum mentes uno eodemque foedere iunctae ut, pacto sacramento, omnes simul abstinentes ab opere, immensam iacturam non dominis tantum suis, sed et civibus omnibus, et innoxias quoque pueris vel mulieribus, et suis ipsis natis illi pararent. Similes a labore desertiones Brivatenses ripuarii timuerunt sibi, easque vix, conlatis omnium studiis, a suo litore abactas viderunt. Lugdunenses vero non cibo, sed vestibus privare operarii complurimi minati sunt, qui per sua lintearia officia, vel per lanificia fucandis linteis, vel villis, aut lanosis indumentis vacant. Hi enim maioris spe luci incensi, in seditionem una descendere duxere opportunum. Rem vero haud ita facile sunt consequenti veluti in votis fuerat; vix enim dicere est quam acriter suis petitonibus lanificiae artis dominos et moderatores adversantes experti sint; qui tandem humanitate quadam et miseratione moti, pariterque civili commodo studentes, in postulata ali quantulum cessere. Barcinone autem in Iberia haud prope varia fortuna res processit ex seditione, quam portuenses baiuli inter se concitarunt, navem quisque deserens suam oneriam, omnesque merces in illis inventas; eodem et ipsi consilio moti, ut dominos suos ad augendam mercedem ferrea necessitatibus lege quovis pacto cogerent. Quo foedere factum imo est ut non solum marina illa opera interrumperentur, verum et miserentur seditionibus et advelitationibus viae urbis, hinc contenditibus dominis ut novos baiulos ad suas merces deportandas sufficerent, hinc illis obsistentibus, ne quis manus admoveret ad onera navium ferenda. Quare, ut consueto fit, heic quoque necesse fuit manu militari urbem per aliquot dies custodire.



Sed interea Lutetienses felix etiam necipiatum hactenus humani ingenii miraculum sunt demirati, Renardenses illas ex sese motas vehes, quae omnium primae, longa quamvis serie, per plateas ita discurrerunt, ut, remotis ferreis axibus, quibus hactenus sternebantur itinera, soluto gressu procedere quam tutissime valuerint. Renardus ille, vulpina ferme acie menti callidus auctor, instruxit curros, rotasque ad rem felici invento eis aptavit, quae dum

obvolverentur, suum tramitem quodammodo deferrent secum et sibi aptarent.



Quo plane genere si Chicaginenses currus fuissent, qui mox alii in alios, uno eodemque tramite discurrentes, incederunt, haud tantum ferme luctum peperissent civibus suis. Evidet enim? Nonne viatores omnes nullo excepto, ex terribili occursu vel occisos et confractos, vel vulneratos atque obruncatos accepimus?



Sed longe maximo infortunio ipsi urbi incendium ingentissimum theatri fuit, quod *Irochense* vocabant, magnum quidem et ditissimum, quod et mille et usque spectaculo adstantes complebant, cuius ex ruina vix trecenti incolumes evasere. Flammæ extemplo excitatae omnem locum vorarunt, destruxerunt. Infelix multitudine terrore compulsa miscet querelas, conatus, clamores, impetuque amenti ad ostia concurrit, ubi vero immensa clades exoritur; alii enim aliis oppressi, non tantum persequentis ignis vi teterrima, quam cogente metu, intersese necantur. Muldon, Episcopus Catholicae Ecclesiae Chicaginensis, cum prope theatrum tunc temporis forte pertransiret, audita clade, ingredi locum caritatis vi impulsus non dubitavit, ut morientibus adesset, ut fidelibus suis, si qui essent, supremo in discrimine saltem benediceret. Quid non mortalia pectora cogit sanctus Christi amor? Venerandus enim ille senex in flammis periisset, inter quas sponte sese commiserat, ni tandem, adhibita vi, eum inde deduxissent vigiles...



Marinae procellae ignitam rabiem etsi omnino non vicerint, sunt tamen satis lugendae. Victoria enim inter et Seatle litus *Challam* navis epistolari commercio iter faciens undis obruta est; neque nautas iuvit scaphas in mare immisisse; nam fluctibus obvoluti plerique perire. Similia ad portum prope la Rochelle *Laur Liwar* navis est naufragio absumpta, nautasque sexdecim amisit.



Vita functi viri clariores ex Gallia praesertim recolendi sunt.

Aloisius Gerôme, pictor insignis Pauli Delaroche discipulus, in Gallica pictorum academia doctor iam ab anno MDCCCLXIII, pictoriae Gallorum artis instaurator meruit vocari.

Hippolitus Marinonius opifex typotheta, genere Italus, studii ac perseverantis laboris fructus aperte ostendit. Quum enim rotatorias illas, sive orbiculares machinas ad componendas paginas invenisset sibique vindicasset, ex humili origine ditissimus est factus.

Neque sileam de *Mathelda* illa, Hieronymi Bonaparte filia, ac tertii Napoleonis, quondam Gallorum Imperatoris, sorore patruei. Tergeste orta an. MDCCXX Anatolio Demidoff Principi nupsit, sed ad mortem usque inter Gallos plerumque vixit, humanitate sua atque ingenii alacritate ab omnibus, licet fortuna a suis excesserit, maximo obsequio honestata.

VARIA

Electrides ad repellendos ebrios.

Americanus quidam iudex (ita *Pall Mall Magazine*) quotidie cum pro tribunali sederet obcessus decumanis ebriosis iudicandis et puniendis, qui pedibus nutantes, et standi impotes repagulo et transemnis innitebantur, eoque processerant ut interdum frustis esculentis vinum redolentibus totam curiam implerent, electridis fluvium in repagula ac transemnas immisit. Hinc factum est ut, vix ebrii lurcones incurrerent more suo, iudex opportune electridem immitteret in innitentes. Statim iudicandi ex-

silire, saltare, quasi pantomimi et histriones ludicra facere. Tribunal illud lepidum ab iis, qui ridere cupiunt, frequentari coepit est.

Pipionibus bene de re publica meritis.

Gallieis hoc praecipuum felixque gentibus, quod ingrati animi notam «cane peius et angue» perhorrescant. Itaque pipionibus monumentum honoris causa ponendum esse censuerunt, quorum ope, dum undique obcessae Lutetiae (an. MDCCCLXX) tenebantur, epistoliarum commercium cum provinciis communabatur. Monumentum sculptori animalium celeberrimo, Freiniet, creditum fuit, nomenque faciundae rei datum est aux *Pigeons du Siège*. Nunc absolutum, in publicis hortis Monceaux eminebit. Constat columna anreis inscripta notis: MDCCCLXX. Clypeum habet ingentem, lauru praecinctum, qui obcessae urbis veluti symbolus est; circum ornamenta cingentia varios pipionum viantium casus et vitam docent. A sinistris est nodus cum pullis, utroque vigilante parente; superius eminent pipio volaturus epistolium ferens; a dextris pipio plumbo vulneratus hostili, super acervum, fractis manuballistis et bellicis tormentis confectum, cadens. — Quis neget Gallos nunc esse zoophilos?

Loci.

Splendide mendax.

Coruncanus quidam, qui mendaciis a pueritia ita assueverat, ut ipse, quantus erat, mendacium totus videretur, ad perhibendum testimonium, iam aetate vir, fuit vocatus a novo praetore morem hominis ignorante. Sed adeunte tribunal fama praeverterat, et poenitebat iudicem vocasse hominem, cui, quamvis iurantis, non esset fides habenda; tum adversus hunc testem uterque, qui in iudicium venerant, perstrepebant. Ubi ergo fuit coram iudice interrogandus, magistratus gravissimis Coruncanum de veritate tantummodo dicenda admonuit, nec brevibus de mentiendo vitio obiurgavit, cui semper et ubique morem gererbat. Coruncanus, cui acre non deerat ingenium, respondet: — « Ne modo mentiaris tu, qui me semper asseris et ubique mendacem, interrogatus a veritate, reddenda tibi, abstinebo; veritate tamen dabo locum me semper mendacem esse confirmans vel nunc, dum semper mendacio me indulgere profiteor. Pergit modo tu, et qui contra me strepunt, et ab isto laqueo verborum vos expedite! » Index, reus accusator, adhuc incerti, mussant.

PISTOLARUM COMMERCII.

Cl. v. T.L. Ric., Blumenthal. — In opere cuius titulus: « Totius Latinitatis lexicon consilio et cura Iacobi Faccioli, opera et studio Aegidii Forcellini lucubratum, auctum et emendatum a Iosepho Furlanetto », quod prae manibus habeo, haec in tom. II, pag 362 leguntur: « FATUS, i. m. 2. idem quod fatum. Legitur in fragm. Tragur. Petron. 42. Burm. malus fatus. et 77 fatus meus. et Inscript. apud Grut. 661.6, 663.5. Fatus malus. et apud Fabrett. p. 123, n. 28. Fatus infelix. et apud Murat. 660. 4. Fatus suns. „ Haec profecto typotheta noster apprime cognoscere debuit; quamvis enim paginarum formas revisens neutri generis verba illa reddidisse, ipse tamen in sua lectione perseveravit! »

Cl. v. Ios. So., Iaca-regali. — Ubi primum potero, ad te rescribam.

Cl. v. Hil. Dos..., Chicagine. — Accepi, atque ad administratorem misi. Vale.

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
Comm. VOX URBIS in an. MDCCCCIV.

Pretium subnotationis est in Italia Libell. 4,80; ubique extra Italiam Libell. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; March. 5 Rubl. 3; Coron. 6,25 *recto tramite* mittendum ad

ARISTIDEM LEONORI EQUITEM
COMMENTARII "VOX URBIS,, POSSESSOREM ET ADMINISTRATOREM,
ROMAM, via Alessandrina, 87.

PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA

ad libitum:

- a) Tabula metr. $0,45 \times 0,22$ Pontificiae dominationis auspicationem referens a Pio PP. IX an. MDCCXLVI peractam, et in Commentarii "Vox Urbis,, commodum unice ex antiqua tabula desumpta; *sive*
- b) Collectio chartularum electissimarum, quae distincta coloribus praecipua Romae, aut eius vicina redundunt; *sive*
- c) Urbis et Ianiculo monte prospectus. (Tabula aere cusa metr. $1,10 \times 0,24$)

Donum, quod voluerit, quisque subnotans petet
primum intra mensem ab eius subnotatione et cum ipso subnotationis pretio.